



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

5. Vtrùm aqua rosacea sit materia Baptismi, saltem in casu necessitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

ARTICULUS V.

*Vtrum aqua rosacea sit materia Batismi:
saltem in casu necessitatis.*

IN aliquibus locis hæreticorum aliquando contigit, & fortè adhuc de facto contingit, quòd pueri Magnatum baptizentur in aquâ rosaceâ. Ac proinde meritò inquiritur utrum valide, & an sic baptizatis tantùm sub conditione baptismus iterandus sit. Loquimur autem de aquâ rosaceâ quæ merè expressa est ex succo rosarum, non autem quæ est naturalis cum admixtione aquæ rosaceæ in parva abundantia: S. Thomas 3. p. q. 66. a. 4. 5 sic resolvit: *Aqua rosacea est liquor rose resolutus, unde in eâ non potest fieri baptismus, & eâdem ratione nec in aquis Alchymicis, sicut nec in vino. Nec est eadem ratio de aquis pluvialibus quæ generantur ex majori parte ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis, minimum autem est ibi de liquoribus corporum mistorum, qui tamen per huiusmodi sublimationem virtute nature, quæ est fortior arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars facere non potest, unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti, quod de aquis rosaceis & aquis Alchymicis dici non potest.*

Dicen-

Dicendum ergo numquam licitè, imo nec validè conferri Baptismum in aqua rosacea; unde in illa baptizatus, denuò absolutè est baptizandus. Pro qua sententia Diana p. 5. tract. 3. Resol. 2. adfert ultra 50. Auctores, qui præcipuè fundantur in Conc. Florent. sub Eugenio IV. ubi expressè declaratur materiam Baptismi esse aquam naturalem: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis.* Et idem definitur in Conc. Trid. sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, &c. Anathema sit.*

Non desunt tamen aliqui auctores, qui putant probabile esse quòd aqua rosacea sit vera aqua, ac proinde, saltem in necessitate adhibendam esse, tanquam materiam dubiam. Quam sententiam nullatenus approbamus, quidquid tamen de hoc sit, taliter baptizatus rebaptizandus est, saltem sub conditione.

ARTICULUS VI.

Vtrum liceat tradere infantem hereticum Ministro Baptizandum,

DE Ministro baptismi sic loquitur Conc. Florent. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare:*